Wojewódzki Pauli Joan: Joannes in vinculis.

JOANNES
JN VINCVLIS

Venerantis affectus, & officiosæ Venerationis,

ADMODVM REVERENDO PATRI.

P. JOANNI WAXMAN

Provincialis. Mortuus est: 1674 Mens: Aug. Cracoviae.

S. ORDINIS PRÆDICATORVM

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

Viro amplitudine virtutum, & scientiarum excellentiâ LAVDATISSIMO,

SOLENNI DIVI SVI TVTELARIS DIE,

Inter Faustas Natalis apprecationes,

A

M. PAVLO JOANNE WOIEWODZKI, Philos: Professore, in Alma Academia Cracouiensi,

REPRÆSENTATVS.

Anno exemptæ è vinculis per Diuinitatem Humanitatis M. DC. LXXII. XXIV. Junij.

CRACOVIÆ
In Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWIC S. R. M. Typ.

IN-SIGNE GENTILITIVM
ILLVSTRIS
WAXMANOVIÆ DOMVS.



Fortis Vir pro dignitate, & vt ipsa ratio iubet, honesti causâ, subit & agit ea, quæ ad ipsam fortitudinem pertinent. *Aristoteles lib. 3. Eth:*

Qui magno est animo atq; forti, omnia quæ cadere in hominem possunt, despicit; & pro nihilo putat: atq; iste vir altus & excellens, magno animo, verê fortis, infra se omnia humana ducit. *Cic. lib. 3. de Finib.*

ADMODVM REVERENDO PATRI.

P. IOANNI WAXMAN

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

VIRO in S. ORDINE PRÆDICATORVM,

perquàm digno, ac dignè prædicando.

Honor & præconium sequuntur fugientes, Adm. R̃nde. Pr. S. T. *Doctor; occurrere illis, vanus est ambitiosarum mentium conatus, cùm in solos incurrunt maximè, à quibus obuiam sibi itur minimè; equidem tam promptum est sublimes animos honorari ac laudari, quàm pronum ijs, auram vitare popularem, neq; ex conscientia vulgi, operosæ virtutis præmia an decora ? opperiri, atq; vt rara est hæc optimi animi dos, ita præclara semper omnem fert ætatem, subruitur nunquam, omnia sibi sæcula vltro famulantur. Typum & imaginem eius non Polycleti vel Timanthis industriâ affabrè cælatam, aut per nobile depictam ingenium, iuris publici facit, sed Tuusmet modicus de Te sensus, magnæ laudis illicium,* Adm̃ R. P. *in tanti boni demonstratiuum venit argumentum. Diu enim est, ex quo tributarios splendidis Natalibus Tuis, & celeberrimæ virtutum amplitudini, honores, obliquo percurris oculo, & veluti alato Bellerophontis Pegaso insideres, sonora de Te, festino cursu aufugis præconia, tanto cum studio, quanto Tibi cum apparatu in dies & horas, è præstantiori facundiæ promptuario depromuntur. Ast Solem Te meminisse oportet, qui longiùs quidem & altiùs, per Religiosæ Zodiacum modestiæ, à fauentibus Tibi obtutibus regrederis: quò tamen vlterius abscedis, eò melius inter, totum per orbem fulgentes, emines, perfectiùs quantus sis nosceris; es autem Præstantiâ Natalium clarus, morum eleganti venustate, venustâq; elegantiâ decorus, doctrinæ sublimitate conspicuus, humanitatis, comitatis cæterarumq; virtutum maiestate plenus: quanquam & alia Illustris Domus Tuæ, grandia decora, in laudis censum Tibi veniunt. Continuata Maiorum Tuorum dignitas, in D. D. Cælites Pietas, erga Augustissimas Regum Maiestates, fides intemerata, in Patriam cum munificentia amor, Te in hanc lucem non minus vitæ, quàm gloriæ deduxit, atq; diuturnæ stabilioris fortunæ serenitas in eadem Domo educauit: nascenti Tibi fecere pompam, præuia facinora illustria, Illustrium Antecessorum, intima Principum familiaritate, ac familiari consuetudine insignium, quorum heroicas mentes non capiente etsi capace magnorum Germania, in Vastos Lechiæ Campos extendi, tam oportuit, quàm decuit, & in longissima exporrigi sæcula. Ita profectò exundauit sufficientissima virtus* Waxmanowia, *etiam in remotiores terras, domesticisq; Laribus alligari nescia, gratiosos magnatum animos, in sui propensionem illigauit occupauitq; magnitudine famæ seriò*

vbiq́ occupata, in tantum, vt Waxmanouium *Sanguinem certatim Insignes Polonorum Familiæ,* Szembeciorum, Xięsciorum, Gołuchowiorum, Zbylitouiorum, *cæteræq́ his pares, adiura amicitiæ deposcerent, deposcantue, cedente omnino in* Waxmanouiam *hæreditatem, per sanguinis communionem, quidquid in has non serpentes humi Stirpes, seu auita virtus inseruit, seu per augustos connubiorum tramites immanauit: vt sic alta eminentibus adnexa, ad culmen immortalitatis, non minùs de facili, quàm de felici pertingant. Tuum & istud, Tuæq́ Domus proprium decus est,* Adm̃. R. P. *quòd illibatæ probitatis, ac innocentiæ animi, capacis ad seria & alta ingenij, exaggeratæ prudentiæ,* Perillustris & Reuerendissimus Germanus Tuus, Peraugustum Capitulum Cracouiense. *adornet peramplè, cuius felicem naturam, ijs moribus Numen formauit, ijs artibus imbuit, ijs cumulauit dotibus, vt constet Magnum hunc Virum, maximæ gloriæ destinatum esse, in quo omnia ad æternitatem famæ conspirant. Tuum & illud non mediocre solamen, ingenti ornamento Generis immixtum, quòd Tuus ex Fratre Nepos, Arcis Cracouiensis Burgrabius, audiat intimus inter Sacratos Regiæ Aulæ,* SERENISSIMI MICHAELIS REGIS POLONIARVM, POTENTISSIMI, *Sceptris Sarmaticis cælitus, agente* DEO *in rem fortunamq́ Polonam, raro exemplo, admoti; ecquomodo autem vicinam superis Maiestatem, promptissima ac præcelsis dotibus aucta indoles, aut viuida hæreditariæ indolis præstantia, in qua suas probitates reperiunt Maiores, ad sui amorem flectere nequeat? quomodo multa idiomatum peritia, literarum paucis conferenda intelligentia, suadæ cultioris elegantia, ingenium dolis imperuium, apertum virtutibus, vitijs clausum, pectus candidum, cælo cùm sudum est, simillimum, apud supremam in terris Lechicis Potestatem, summos fauores non reperiat aucupeturue? inest sanè prodigiosa quædam vis, eximijs quibusq́ naturis, vt hæ Celsissimas etiam mentes, ita facile vt citò in sui studium trahant alliciantue. Sed amplius in Tuas, ac Tuæ Prosapiæ laudes, ire volenti obnititur insita Tibi gemma laudum modestia: pareo vnicè virtutum vnioni, & bene precantis modò partes sustineo: dum nimirum annuum* Præcursoris Domini, Tuiq; Tutelaris *recursum solennem, Tibi prono officij genere gratuler, & quàm auspicatas, in pari vicissitudine vices exopto, vt Nomen Tuum, per posteritatis seriem, inoffensos agat cursus, magnâ Te apud Orbem & Ordinem implendo veneratione: dum* Manum Domini, *feliciter protractæ, longiùsq́ ac feliciùs protrahendæ ætatis* Tuæ *baiulam, per vota à superis deposco, vt ij à Numine, vitæ Tuæ addantur anni, quos virtus Tua, in sæcula, protensa meruit: Tolerabis* Adm̃. R. P. *hanc in Te propensionem meam, quæ si dignitati non consuluit Tuæ, officio equidem consuluit meo: acceptabis vel solum conatum, quia Tuo exornatum Nomine, nec attendes pusillum & supra suas vires audens ingenium, pensata studij obligatione: & cùm omnia factus sis omnibus, Traianus etiam mihi, quamuis non Plinio fies, Tuæq́ communem staturam excedenti virtutum magnitudini, impar hocce præconium, benigniori sensu, Tuum in sinum admittes: me interim* Gentilitio Heroi Tuo, *spontanea victima cadente, ne vnquam illius stabilis in mœnibus firmitudo, aut firma in fortitudine stabilitas subruatur.*

Admodùm R. P. Tuæ Deuinctissimus

M. PAVLVS IOANNES WOIEWODZKI,

PRÆCONIVM.

IOANNEM IN VINCVLIS, ESTO MIRARIS,
Captivum nè judices,
Nisi superno captum amore,
Quod Præconium, non carcer est.
In maxima vindice libertatis Gente, & Domo natus
Admodum Reuerendus Fr. IOANNES WAXMAN
S. Ord. Prædic: S. Th. Doctor,
Tolerandæ seruituti minimè idoneus est,
Nec Darium per ignominiam auro vinctum æmulari,
Ducit decorum,
Toto pretiosiorem auro libertatem, in Regno liberrimo,
Plurimi æstimando:
Cui maiorem aucturus valorem splendoremue,
Soli eam Aquinatico, in solo patrio sociauit,
(A quo Christianus Orbis, Pretium sui & lumen habet;)
Ad cuius tutamen,
Non Gentilitium modò Heroem destinauit,
Gladio tam metuendum, quàm fortem animo,
Ast induxit & Dominicanum Insigne,
Vigilantiæ ac fidelitatis Orthodoxæ symbolum,
Vt cumulatis excubijs, non distraharetur securitas.
E claris ortus Natalibus,
Lucidissimæ Religioni, nomen dedit & vitam,
Multa Domi suæ fulgentia sydera,
Vel vnico Astro Dominicano præferens,
Vt dubitaretur,
Magisne sapientior esset, quòd terrena cælestibus posthaberet?
An quòd sciret posthabere?
Deseruit cælum patrium,
In Sphæris Religiosis fulgere, rectè præeligens.
Cæterùm vtrobiq; clarus,
Eximiarum virtutum plenis in se collectis splendoribus,
Approbat Ioanni proprium esse,
Inter omnes mortales, vel vnico gressu,
Fines naturæ egredi, metas verò probitatis gratiæq; attingere.
Augustissimæ Floris Nazareni, Parentis
Hortum conclusum, S. Ordinem Prædicatorum ingressus,
Reginæ Cælorum, æternùm se mancipauit,
Ostensurus,
Joannem semper debere esse MARIæ Achatem.

Extra sæculum prosilijt, beatæ æternitatis certus comprehensor;
Pro inæstimabili pretio Peraugustæ Religionis Prædic:
Generis claritudinem, fortunarum copiam, spem indubiam honorum,
Plusquàm libens permutauit, monstraturus,
vel *pretiosa ac præstantia, solis pretiosis ac præstantibus comparari,*
vel *labentia firmis debere præferri:*
vel *non esse prudentis umbras prehendere, sole intacto.*
VERBVM notificat mundo,
Quia inter Prædicatores, celeberrima Vox est,
Ac eò magis, quòd in quouis sermone, non nosci studet,
vt noscatur Deus,
Cuius amore pectus proprium æstuat adeo,
Vt humana quàm maxima, pro modicis æstimet,
Cunctaq; labilia antequam ipsamet elabantur, dimittat.
Præter vitam non amplius debet naturæ,
Omnibus cum Nomine suo, à Gratia acceptis,
Sicq; Deum,& omnia in Deo complexus!
Mundi illecebras non quia timuit fugit,
Sed vt fortior seipso esset, spreuit:
Hos vestigijs charecteres imprimens;
Longum & arduum ad Astra iter, molles non admittere viatores.
Joannem se dum meminit esse, Præcursorem non obliuiscitur,
Nemini ad virtutem, nomenq; gloriosum, in cursu postremus,
Purpureum Sanguinem Nobilitatis,
Candori Dominicano immiscuit,
Vt merè candidatus cæli foret, candidus & rubicundus.
Latere vel sic, forsitan voluit, tanta Virtus, sed non debuit:
Ecquomodo celari potest quod publico emolumento destinauere Superi?
Frustra cupit abscondi, quod luce non indignum communi,
Orbis ambit in exemplum.
Sola virtus amplissima, vt vnico solo contenta non est,
Ita modicis spatijs, ignotisque latebris contineri aut refugit, aut respuit:
Incircumscripta sacrata æternitati, non minus semper, quàm vbiuis clarescere poscit:
Cum sibi ex conscientia sanioris mentis, infinita thétra debeantur.
Ad summa & præclara initiatus Animus,
Caliganti genio, tenebras amantis sæculi, consulturus,
Ad inexstinctam FACEM Dominicanam non inconsultò accessit,
Vt nimirum in Se non vulgares virtutes, nec mediocrem doctrinam,
Spectaret, legeret, imitaretur.
Nam veluti Volumen & epitome scientiarum probitatumq;,
Factus Religiosissimus Vir.
Nullam prauitatis vel inscitiæ vmbram notamue in Se admisit.
Filio namq; lucis & candoris, nunquam interuenit commercium cum tenebris,
& squalore.

Inces-

Jnceſſanter ardente D. Patriarchæ ſui Lucerna,
Non inquirit more Diogenis homines,
Quod otioſum,
Sed inflammat ad deſiderium cæleſtium,
Odorem ſuauitatis ex incenſa hac victima, cælo dans & Deo,
Quòd tam Superis gratum: quam ſibi glorioſum;
Nullum ſiquidem magis ambit lucrum, quàm vt cælum ſibi,
Omnia cælo lucri faciat.
Neapolim Luce Aquinatica illuſtratam abundè,
Moribus integerrimis, & rara ingenij perſpicuitate,
Ad præclaram Sarmaticæ Indolis famam,
adornauit copioſè,
In aprico diſputationum publicarum ſæpius comparendo glorioſè.
Formatus à natura & arte Angelica, ad non ſingulare vniuerſorum
emolumentum;
In generali Studio Crac: S. Ordinis,
Munus & dignitatem, Magiſtri & Regentis ſuſtinet,
æquè laudabiliter ac ſtrenuè.
Quocirca
In Schola Angelica, operoſa Intelligentia
dici, cum ſit, meretur,
Angelicam naturam, ſui felicitate ingenij,
Adeo humanæ menti capacem faciens,
Vt Auditores transformet in Angelos,
Extra veterum metamorphoſim.
Obſcura difficultatum abdita, aut cum luce Thomiſtica penetrat,
Aut nodos in ſcientijs perplexos, Gentilitio Gladio,
Feliciùs Macedonico diſſecat.
Sanè
A ſtellato D. Patriarcha ſuo degener minimè,
Lucem deriuatam in ſe, hæreditate & Diuinâ ſcientiâ,
ſpargit largiùs in ſingulos,
Quam vt colligere potuit, ita poteſt neutiquam continere.
Abundantia tam eximiæ eruditionis, non cuipiam ſtupor ſit,
Nam in erudiendo Ioanne non vnus digitus, ſed tota Dei
Manus laborauit.
Quare
Vt promptiùs Angelum Ioannem, Præceptoris Angelici Diſcipulum
crederes,
In cæleſte commigrauit ingenium.
Meritò proinde Angelum & Ioãnem reciprocè de tanto Viro dixeris,
Qui Angelis par, nec magnis quibusq; hominibus minor.
Prior in Conuentu Gedanenſi, Cracouienſi,
Definitor in Generalibus Capitulis pluries,

 Super-

Supereminet,
Ne inter Viros ad alta dignitatum fastigia natos,
Maior surgat Ioanne.
Et quod impensiùs extolle
Omnium in Peraugusto Prædic: Ordine capax honorum,
Nullius auidus,
Benè tantùm mereri, optimam dignitatem arbitratur:
De nulla re solicitus magis,
Quàm eximijs moribus, innatam ornare Maiestatem;
Diuino cultui inter singulas actiones plus intentus,
Quàm vitæ gloriæq; propriæ.
Ita viuit,
Vt imitari eum qui vellet, nequiret vnquam delinquere:
Inter bonos Iagelloniæ Palladis alumnos tenellus,
Ab optimis educatus ad optima,
Virtutum auidus, vitiorum tam incapax, quàm hostis.
Rectè factorum laudator egregius, æmulator eximius,
In narrandis aliorum præclarè gestis, disertum Cineam gerit,
In proprijs Cedro dignis, Harpocratem ob insitam modestiam refert:
Facere præstantia aptior, quàm recensere.
Et quamuis à nemine expectat laudes,
A singulis tamen laudatur,
Eò intensiùs, quò vehementiùs illis obnititur.
Plurimos ad amplam virtutis normam,
Compendiosis præceptorum exemplis formans, efficit,
Ne vspiam viua suæ probitatis desint simulacra,
In eligenda amicorum probitate tam prudens,
Quàm in colenda constans,
Cum his quidquid non habet commune perdere se arbitratur,
Tito, Neruæq; par magis, quàm similis.
Agnosce quanta sit probitas, Viri Religiosissimi,
Qui omnibus sponte naturæ communem se facit,
Vt singulare aliquid in se emineat:
Supra comitatem affabilis, supra spontaneam fortunam liberalis,
Supra humanitatem humanissimus.
Neq; nimium vocites, quod Heroicum est;
Virtus siquidem *vltra solitos progrediens limites, Heroica appellatur.*
Quodsi animorum præstantior quàm mœnium expugnatio?
Adm. Reuereñ. Pr. S. Theologiæ Doctor,
Hoc argumento triumphat,
Insignem prædam ex Illustribus ducens affectibus.
Amphionem Sarmaticum vocitares,
Trahentem ad se & ad Candidam Religionem suam
Sublimes animos

Voce,

Voce, doctrinâ, factisque laudandis,
Vnde S. Prædie: Ordinem magis facit prædicabilem,
Quò plus, summis Maiestatibus, reddit amabilem.
Magna hæc excellentis naturæ, & virtutis WAXMANOVIÆ dos est,
Habere tot alta præconia, quot præcelsos affectus!
Porro Inclytus Vir,
Omni titulo, labore, opereq; literario, immortale nomen promeritus,
Agit pro Cælo spectanda:
Ipsemet Cælo spectaculum:
In omni facto gratiosus, ne vel vni Ioannes esse nonvideatur.
Tam fortunatus est Horoscopus Tuus,
Adm. Reuerende Pr. S. Th. Doctor.
Vt prosperrimæ virtutum vnâ Tecum, communem aspexerint lucem,
Euidenter probaturæ semper Te, & vbiq; Ioannem esse;
Seu namq; Igne Dominicano, mundi fastum comburis:
Seu ad littus Istulæ pro Iordane, Dantisci, Cracouiæ,
Viros erudis:
Seu altas dotes in profunda demergis modestia;
Vitâ, doctrinâ, moribus, Ioannes es.
Seu tenes silentium, seu exaltas vocem in Prædicatorum Elisijs;
Silentio, voce, Ioannes es.
Seu Te maior inter probos, scientes, humanos, non surrexit:
Seu Angeli dextrè operantis, in Angelico Lyceo vices geris:
Seu exemplari probitate probataq; doctrinâ luces.
Ioannes es.
Nam vox clamantis, deserti silentium, pietas & eruditio, Angelus,
Exemplar & lucerna, Ioannes est.
Seu mellea fundis verba, seu prudens reprehendis prauitatem,
Ioannes es.
Quoniam Ioannis pastus mel est, & amaræ prauitatis animosa
reprehensio.
Adeo igitur grandi Waxmanouiarum virtutum Orchestræ,
Immensitas æternitatis debetur,
Cùm *angustia temporis incapax* sit, *quidquid æuo paratur.*
His, magnæ mentes, maiora dent præconia,
Pusillis autem sufficiat conari, velleq;.
Tollant in cælum disertæ linguæ,
Quod pro cælo & Deo non piget militare.